DE INFLAMMATIONE HEPATIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XVI. MENSIS DECEMBRIS ANNI

MDCCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS HENRICUS LAEMMERHIRT,

NEODAMENSIS.

OPPONENTES ERUNT:

JOSEPHUS KOCH, MED. ET CHIR. DRD.

PETRUS HANSTEIN, MED. ET CHIR. CAND.

HUGO WEBER, STUD. JUR.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Literatura.

Budd, Krankheiten der Leber, übersetzt von Henoch.

Rokitansky, pathologische Anatomie.

Andral, Clinique méd. Maladies de l'abdomen.

Cruveilhier, Anat. pathol.

Louis, recherches anat.-pathol. sur diverses maladies.

Annesley, Diseases of India.

Henoch, Klinik der Unterleibskrankheiten.

Pemberton, Ueber verschiedene Krankheiten der Abdominal-Eingeweide.

Stokes, Cyclop. of pract. med.

Canstatt, specielle Pathologie und Therapie.

Berndt, die Lehre von den Entzündungen.

De inflammatione hepatis.

Hepatis inflammatio inter morbos et saepe obvenientes et perniciosissimos est numeranda, ad quam medicus animum attendat valde necesse est, praesertim quum et per se exsistat et non solum symptomatice in aliis morbis, ut febri biliosa, intermittente, typho conspiciatur, sed etiam his majorem praebeat vim. Quum jecur in totius corporis sustentationem magnam exerceat vim ejusque functio cum functione organorum ad vitam maxime necessariorum conjuncta sit, facile intelligi potest, morbum quendam in ea ortum maximi esse momenti.

Symptomata.

Prima indicia, ex quibus hepatitis cognoscitur, algor, arteriarum pulsus frequens, caloris praecordiorum magni sensus, qui mox per totum propagatur corpus, sitis vehemens esse solent. Praeterea hepatis regio doloribus afficitur. Quos ad dolores certis locis inhaerentes, qui in hepatis inflammatione reperiuntur, saepissime accedunt et

dolores consentientes, qui cum sensu graviditatis non raro conjuncti, humeros, collum, dextrum latus corripiunt et surditas pruritusque brachii dextri et dorsi. Accidit quoque ut aegroti de surae dextrae doloribus querantur, atque omnino videmus sinistrum latus raro tantum iis affici. Eisenmann hos dolores sympathicos tum demum apparere contendit, si inflammatio hepatis tegumentum peritonaeale corripuerit. Ad hoc hepatis regio est calida, quo fit, ut textilia humida ei admota prius exsiccescant, quam in aliis corporis locis. Heqar autem inflammatum intumescit, ut in margine costarum spuriarum, quae in dextro corporis latere sitae sunt, plus minusve promineat et in pectus quoque altius pellatur, quam in statu incorrupto. Quum enim valet hepar, sursum ad costam sextam, deorsum usque ad spuriarum costarum marginem, sinistrorsum latitudine binum digitorum transversorum ultra mediam corporis lineam procurrit, ita ut totam dextram regionem hypochondriacam impleat. Sonus percussionis omnino obtusus, qui, si hepar sursum tumet, usque ad sextam costam pertinet, quamvis omnia desint indicia, ex quibus colligi possit, dextrum pulmonem vel pleuram esse correptam. Si deorsum crevit hepar sonus ille etiam tympaniticus est aliquando, qui hac re efficitur, quod pone hepar intestini aliqua pars sita est. Sinistrorsum denique si hepar amplificatum est, percussione a costarum spuriarum margine ad sinistram facta, sonus ille obtusus unius vel binum digitorum transversorum ultra lineam mediam auditur.

Praeterea tangi quoque potest hepar deorsum amplificatum, quod ut fieri possit aegrotus in tergum collocatur

necesse est atque ita quidem, ut caput, pectus, os sacrum paullulum suffulciantur, crus autem utrumque recto angulo moveatur. Quo facto totus hepatis ambitus sub costis spuriis tangi potest. — Hepar amplificatum functiones corporis partium sibi finitimarum, motiones dico diaphragmatis, pulmonis dextri atque eo respirationem saepissime impedit, qua re angoris, suffocationis, compressionis sensus nec non in ventre ac intestino duodeno nauseam vomitusque actionem efficit. Praeterea regio hypochondriaca dextra est inflata atque doloribus affecta, praesertim si extrinsecus comprimitur. Eo autem, quod hepatis functiones impediuntur aegro gustus amarus, diarrhoea biliosa obtingunt, vel bilis secretione repressa alvi dejectiones fiunt rarae cinereaeque nec satis continent bilis. Aegrotum autem icterus invadit; tamen eum semper signum pathognomonicum inflammationis jecinoris habendum esse Stokes negat atque etiam Annesley eum in hepatitide Indica rarissime inveniri confirmat.

Saepissime accidit, ut ad hepatis inflammationem tussis accedat sicca, quam Pemberton post duodequinquaginta demum horas initii morbi observavit, et quae secundaria pulmonum affectione vel nonnumquam etiam pneumonia una cum hepatitide potissimum in inferiore dextri pulmonis lobo excitatur. — Urina est rutila, praeterquam si aegrotus ictero correptus est, in quo flava potius est vel subviridis.

Saepe etiam nervorum systema in jecinoris inflammatione secundarie afficitur, quam ob rem oculi dextri acies imminuitur, sternutatio remittitur atque in dextra gena rubor circumscriptus apparet. Vasorum quoque systema

male affectum est, aegrotus febri corripitur, quae tamen non semper ex hepatitide manat, quum accidere etiam possit, ut hepatitis ex febri manet, quam ob rem hepatitis cum febri disjungenda est a febri cum hepatitide. Quae si ex febri manat partim haec partim illa sanguinis mutatione pathologica incutitur.

In hepatitide acuta febris vehemens esse solet, in chronica autem tam levis, ut per diem omnino deesse videatur, atque vesperi tantum noctuque appareat. Praeterea pulsus non aequis movetur intervallis, sed interdum intermittitur. Febris autem vehemens continua etiam est, quoad morbus flagrat, qui si minuitur, et febris et dolores certis locis inhaerentes praecipue mane intermittuntur, dum vesperi noctuque augentur. Accedit etiam, ut hepatitide procedente, frigora appareant concutientia, quae non diem ex die, sed alternis diebus renovari solent et simillima sunt iis, quae febris intermittentis significant initium. Haec enim frigora saepe morbo incipiente tum potissimum incedunt, quum inflammatio venae portarum ejusque ramis inhaeret, morbo autem longius progresso, quum parenchyma inflammatum est hepatis atque in hoc suppuratio fertur.

De jecinoris inflammationis differentiis.

I. Differentiae, quae ad inflammationis locum attinent

1) Interdum accidit, ut inflammatio serosam jecinoris tunicam afficiat, quod morbi genus hepatitis erysipelatii nominatur. Quod cognoscitur ex vehementis punctionis sensu in regione hepatis, qui suspiratione, tussi, sternu-

tatione, celeri corporis motu, hepatis regionis praecipue spatiorum ejus intercostalium compressione augentur. Praeterea hepar deorsum tumet, atque raro tantum postea in hepatis regione tumor fluctuans sine ulla duritie eorum, qui circumjacent, locorum sentitur; qui ex eo originem ducit, quod morbo procedente inter hepar ejusque tunicam serosam magna extravasati aquosi copia exstitit.

2) Si morbus convexae jecinoris superficiei, praecipue parti diaphragmati proximae inhaeret, saepissime diaphragma, pleuram, pulmonem corripit. Quo facto accedunt tussis modo sicca modo sputis ferruginosis conjuncta, singultus, alia symptomata, quae diaphragmatis inflammationem significant.

3) Si concava hepatis superficies morbo afficitur, ventriculi intestinique duodenalis inflammatio ei adjungitur, quae etiam in ductum choledochum, ductum hepaticum et cysticum, vesiculam felleam transit. Quae partes felle, quod a ductu choledocho in vasa capillaria ductus hepatici diffunditur, ita saepe redundant, ut fellis secretio impediatur ideoque magna materia biliosa in sanguine remaneat, quae sicut bilis secernatur necesse esset. Quo modo icterus efficitur, ad quem sanguinis sepsis et resolutio et coma accedunt, quibus aegrotus facile interimi potest. Quae omnia mala eo exsistunt quod ductibus excretoriis hepatis inflammatis membrana mucosa tumescit atque ita stenosin efficit, aut quod inflammatione catarrhali pituitam secernit, qua ductus obturantur. Si haec inflammatio per ductum cysticum diffunditur fel defluere non potest, sed resorbetur; quia vero tunica mucosa iti-

dem est inflammata vesica fellea pituita perversa impletur. Postremo autem naturalis tunicae mucosae structura subit mutationem convertiturque in tunicam serosam, quae secretum aquaticum exsudans magis magisque ita extenditur, ut tumor fluctuans (hydrops vesiculae felleae) prope vesicam felleam exsistat. Praeterea accidit, ut concava superficies primo sit inflammata. Talis autem inflammatio nonnumquam etiam secundaria efficitur, quod capillarium tunicae intestini mucosae inflammatio ad venam portarum diffunditur. Qua in re modo jam exsudatum adest, quod partim quum facillime coaguletur venam portarum facit inviam, partim cum sanguine commixtum corruptionem ejus atque dissolutionem efficit. Praeterea splen tumescit, quia sanguis libere non potest ex eo defluere. Aegroti, qui illo morbi genere laborant, conqueruntur dolores, quos et a splene et a regione umbilicali usque ad hepar sentiunt, atque viribus valde deficiuntur, qua ex causa saepe frigoribus jactantur, quae satis constanter aut quotidie aut alternis aut tribus intermissis diebus renovantur atque ita aequalia fere sunt febris generibus, quae a veteribus medicis Amphemerina aut Hemitritaeus nominabantur. Non raro fieri etiam solet, ut morbo procedente haemorrhagia in stomacho intestinoque exsistat, quae sicuti splenis tumor impedito sanguinis delapsu efficitur.

Hepatitis appellatur phlegmonoidea, si hepatis parenchyma affectum est morbo. Tum dolores non tam vehementes sunt, quam obtusi gravesque; pulsus non durus ac plenus, sed saepe oppressus, interdum etiam non frequens. Icterus quoque facile accedit, quum turgore he-

patis tumidi capillaria ductuum biliferorum premantur atque ne secernant prohibeantur.

II. De hepatitidis differentiis, quae pertinent ad ejus vehementiam.

Inflammatio modo lenis est, modo vehemens. Illa saepius reperitur in ictero, in polycholia, in dysenteria, atque vomitu bilioso, diarrhoea, sudore critico, urina in sanitatem transit. Vehementissimae autem jecinoris inflammationes saepe conjunctae sunt cum imaginaria imbecillitate ex qua aegrotus magnam contrahit lassitudinem, atque cum arteriarum pulsu exiguo, imbecilli, oppresso vel etiam frequentissimo aut maxime raro et intermittente. Ad hoc turgor vitalis est lapsus atque calor animalis exiguus. Illa autem imbecillitas non solum pendet ex sanguine sed etiam ex eo, quod morbus nervos sympathicos afficit, quae si in tempore fortioribus remediis sicuti sanguinis detractione et medicaminibus purgantibus tractatur decedit. Quibus neglectis morbus jam paucis diebus post sanguine omnino vitiato ingravescit atque in pessimum convertitur statum. Quod accidere solet imprimis in India orientali aliisque terris meridianis, rarius in India occidentali. Sed in palustribus quoque humidisque regionibus illa vehemens jecinoris inflammatio reperitur et quidem saepe cum febri intermittente conjuncta in Batavorum Frisiorumque terris, in Lombardia, Hungaria septemtrionali, Corsica, ceteris. Interdum etiam inundationes causam ejus praebent.

III. Hepatitis raro reperitur sola, sed cum pneumonia dextri lateris, vel saepius cum ictero, dysenteria, diarrhoea, febribus conjuncta.

IV. Quod ad causas attinet remotas modo sporadica modo endemica, vel epidemica, saepe etiam idiopathica et sympathica apparet. Sporadica enim saepissime in hominibus quibus est hepar irritabile ingeniumque violentum, idiopathica imprimis cum ictero, cholera, dysenteria, febri intermittente conjuncta, endemica praecipue in India ad orientem vergente aliisque regionibus, quae et calidae et palustres humidaeque sunt, reperiuntur. Idiopathica autem est hepatitis, quae ex causis omnino externis oritur, sympathica, quae ex morbo priore manat. Nonnullae enim jecinoris inflammationes ex sanguine manant vitiato, qui calore nimis magno vel coelo palustri non raro efficitur; aliae consensualiter exsistunt ex intestini duodenalis inflammatione, quae per ductus excretorios in hepar infunditur, vel ex eo, quod intestini inflammatio per capillaria procedit.

V. Quod attinet ad tempus, hepatitis modo acuta modo chronica est.

Illa brevi tempore subsistit, qua progrediente haec animadvertuntur indicia: primo enim frigora concutientia, quibus vehementes dolores jecinoris, humeri, surae dextrae continuantur, deinde calor aegrotum invadit, cujus lingua alba atque arida est. Quum potissimum concava hepatis superficies inflammatione affecta est, tum saepe accedunt icterus atque tussis, quae nervoso motu secundario pulmonis excitata tantum exigua, aut ex pneumonia vel pleuritide pendens vehementior est.

Chronicae autem hepatitidis, praecipue initii ejus indicia sunt minus perspicua. Aegrotus enim de praecordiorum plenitudine conqueritur, cibos male conficit, aci-

dum ructat, dextri lateris gravitatem sentit. Quibus accedunt sympathici dolores dextri humeri gravitasque brachii dextri. Hepar aut amplificatum, aut quod etiam accidere potest, ad minorem modum redactum est, qua in re aegrotus facie est pallida, cadaverosa vel flava, lingua albet, pulsus paullo citatior aut mirum in modum tardus neque raro intermittens, aegrotus in sinistro latere jacere non potest, alvi dejectiones non sunt constantes, modo enim venter nihil fere reddit, modo nimis multum; excrementa maxime foetent atque speciem praebent. corruptam, quippe quae aut non satis aut nimio plus commixta sint cum bile, quo fit ut colore aut argilloso aut perviridi sint. Deinde aegrotus in dies languescit atque emacrescit, atque serius ocius ascites accedit, quum sanguinis cursus per ramos venae portarum impediatur, ut venae sanguine semper redundantes serum per parietes exsudent. Interdum autem aegrotus, quamquam ascites non adest, anaemia et marasmo absumitur.

VI. Quod attinet ad naturam dynamicam inflammationis, hepatitis sthenica et asthenica discernitur. Inflammatio sthenica in hominibus, qui antea bona fruebantur valetudine, pendet a constitutione epidemica inflammatoria, cui aliae causae noxiae accedunt, ut compressio vel ictus hepatis, profluvia sanguinis salubria oppressa, alia. Morbus acutus symptomata febris inflammatoriae affert.

Hepatitis asthenica sanguine depravato, aëre palustri provocatur, etiam hepatitidem sthenicam hominum imbecillorum et cachecticorum sequitur.

De exitu hepatitidis.

I. Resolutio sperari potest nisi morbus vehementior, si hepar ceterum sanum et aegrotus validus antea fuit. Morbus inter diem septimum et decimum quartum decernitur doloribus se subducentibus, hepate volumen normale recipiente, sudore critico et urina apparentibus nec raro haemorrhagia critica e nare dextra et apud homines ad haemorrhoides suspensos ex intestino recto orta, simul vomitu bilioso. Nonnumquam res evenit, qua medicus ignarus facillime fallitur; bilis enim valde perversa velocissime in intestinum duodenum effunditur, quo dolores vehementissimi, interdum deliria, convulsiones vel sopor efficiuntur et venter tumefit. Facillime huic statui occurritur remedio purganti ex radice Jalappae et Hydrargyro muriatico miti composito.

Nonnumquam etiam tempore crisis hepatitidis lichen, rarius pemphigus erumpit et tempore resolutionis dolor in regione lienali sentitur. Si lobus dexter pulmonis inflammatus fuit sputa critica exsistunt.

II. Transitus in suppurationem modo facillime modo difficillime cognoscitur praecipue in hepatitide chronica. Quodsi hepatitis acuta transit in suppurationem, symptomata aliquatenus, sed sine crisi salubri remittuntur; quum dolor in regione hepatica mitigetur, hepar autem non prorsus liberetur, remanente eidem dolore leni et sensu quodam tensionis et pulsationis, nec signis sympathicis plane desinentibus. Febris quidem non tam vehemens est quam antea, sed sensim speciem febris lentae accipit,

aegrotus macie extenuatur, friget, noctu sudorem profusum emittit, appetitus non adest, diarrhoca et obstructio alternant, respiratio difficilis est et tussis sicca accedit. Multo difficilius cognoscitur hepatitidis chronicae in suppurationem transitus. Ratio enim habenda est signorum antecedentium et praesentium, febris lentae, dolorum humeri suraeque dextrae. Tamen saepe accidit, ut illa criteria, quamquam abscessus hepaticus adsit partim desint, aegrotus recreetur et diu illum secum circumferat, qui in sectione demum invenitur. Minores praesertim abscessus hepatis longum tempus non mutantur et parvas afferunt molestias, si majores sunt partes substantiae hepatis premente pure evanescunt, quo facto aegrotum icterus invadit, regio hepatica tumescit, respiratio difficilior est, febris hectica conspicitur, diarrhoea sudorque foetidus apparent, in urina sedimentum album videtur. Abscessus minores interdum consanescunt pure densato, quod demum mutatur in massam, quae plane resorbetur, ita ut loco abscessus textum cicatrosum, cellulosum, fibrosum exsistat. Raro pus resorbetur et membrana mucosa bronchiorum removetur, qua re aegroti sputis per longum temporis spatium pus commixtum est, quamquam pulmone sano.

Nonnumquam etiam abscessus in cavum abdominis aperiuntur et celerrime peritonitidem vehementissimam efficiunt, qua mox mors adducitur. Abcessus per ductus biliferos quoque exhauritur et ita pus vomitu et sedibus aufertur; qua re aegrotus raro in sanitatem restituitur sed hectica febri et marasmo absumitur. Si abscessus ventriculo vel parti cuidam intestini implicatus in candem aperitur aegrotus rarius sanitatem recuperat, sed morbo

consumptus et marasticus phthisi hepatica diem obit. Raro pus in pleuram dextram effunditur, quod saepius evenit, si pulmo pleurae implicatus est et pus per diaphragma viam sibi aperit in pulmones, ex quibus per tussim ejicitur; tales aegroti phthisi vitam finiunt. Rarissime pus in pericardium ejicitur, nam a Smithio unus tantum casus describitur abscessus in pericardium sponte aperti in muliere Afra, cujus hepar totum in abcessum mutatum cum parte sinistradiaphragmatis cohaereret, perquod apertura conspecta sit. Pericardium paene duas libras liquoris purulenti continuit, pars interior ejus pseudomembrana obtecta fuit. Nonnumquam iis hominibus, quibus abscessus jam in pulmonem apertus est, postea idem intestinum perrumpit; qui aegroti, si res feliciter cadunt, vitam servare possunt. Si quod prosperrimum est accidit, ut abscessus extrinsecus in regione hepatica sicut tumor fluctuans plerumque in regione costarum inferiorum appareat, initio durus, non arcte limitatus, postea in parte media mollior et manifesto fluctuans margine duro, paullatim mollis. pars media tantum crescit, quantum margo durus decrescit. Ita res se habet, si abscessus positus est prope superficiem convexam hepatis; sin autem profundior est extrinsecus tumor planus et oedematosus apparet, qui sensim tollitur et postea demum in medio fluctuationem perspicuam offert. Interdum abscessus hepatis in regione ab hepate remota observatur; si exempla desiderantur, commemorare tantum volo abscessum nonnumquam in partem dextram pleurae ascendere et ita abscessum congestivum in pectore apparere; saepius autem eum descendere et ita in inferiore ventris parte tumorem fluctuantem efficere. Praeterea abscessus in regione umbili-

cali et inguinali nec non in superiore ac interiore femoris apparet. Quibus in casibus hepar calore caret, dolore, duritie in regionibus adjacentibus. Exitus abscessuum externorum varius est; quum si mature arte aperiuntur sanitas saepe recuperari possit, nisi substantia hepatis sensim evanescit et abscessus facile in cavum abdominis vel in intestinum injicitur, vel pus ascendit vel descendit et abscessum congestivum efficit. Raro accidit, ut abscessus hepatici extrinsecus solum sponte se aperiant, rarius autem, ut aegrotus vitam servet. Abscessus mature aperti saepe melius consanescunt quam sperari potuit, sed neglecti plerumque mortem afferunt aegrotis; nam alii phthisi hepatica moriuntur, aliis fistula hepatica remanet, quae praecipue apparet, si hepar praeterea alio morbo laborat vel si costae sunt cariosae.

III. Saepe hepar ex hepatitide structuram normalem amittit. Postquam tunica ejus serosa inflammata est, lympha plastica in superficie hepatis exsudata crebro non prorsus vel non perfecte resorbetur, sed textum cellulosum format, ita ut hepar partibus vicinis facile implicetur. Haec hepatis adhaesio abnormis saepenumero efficit, ut aegrotus morbo superato interdum subito vehementem pungentemque sentiat dolorem, qui ex distentione ligamentorum abnorme conformatorum oritur. Interdum inflammationes tunicae serosae gravem efficiunt exsudationem seri inter tunicam serosam et parenchyma hepatis, qua re tumor perspicue fluctuans exsistit, quem cum vesica fellea nimis impleta confundi non licet; hic enim hydrops in regione vesicae felleae tantum apparet, tumor autem ille in diversissimis regionis hepaticae locis. Prae-

terea vesica fellea nimis impleta piri formam habet, se tumor in basi latissimus est et extrinsecus magis tenuis Quod inest in vesica fellea nimis impleta premendo e mulcendo in intestinum duodenum auferri potest, quam rem diarrhoea biliosa sequitur, tumor autem manibu removeri non potest. Ab hepatis abscessu tumor distin ctus est nimia in superficie ejus fluctuatione et margin duro et dolente et febri hectica, quae abscessum comi tatur, deficientibus.

IV. Non raro hepatitide amplificatur hepar tantum ut deorsum usque ad regionem umbilicalem, vel ad pel vim, in parte sinistra usque ad lienem, in parte superior usque ad quintam, quartam et tertiam costam pertineat Facile amplificatio cognosci potest. Margo inferior ha in re modo normalis, modo spissatus est, interdum etiam tenuis et laxus, ita ut facillime retrorsum flecti possit Hanc amplificationem saepe celerrime explicari optim videri potest in hominibus ex India orientali in Europam revertentibus, praeterea in iis hominibus, qui per longum temporis spatium sedent et contra consuetum vitae ordinem multas potiones fermentatas et spirituosas bibunt Omnia apparent hepatitidis chronicae symptomata, quum et hepate amplificato alvus tumescat, respiratio fiat tenuis nec raro palpitatio cordis accedat. Saepe hepatis superficies amplificata non est tactu levi et plano, sed iniquitates, quae magnitudinem quinque numorum grossos quos dicimus habent, in eadem sentimus, in quarum parte media sinus sunt. Praeterea homines ejusmodi adspectum praebent dyscraticum. Ita vivente aegroto fungus conspicitur in hepate. Adest nonnumquam sed cognoscere eum

non possumus, praecipue si non in superficie convexa sed in concava positus est. Raro tumor fungi effusius superficiem versus explicatur ita ut denique tunica serosa hepatis resorbeatur et tumor praesertim si mollitus est in cavum abdominis procedat ibique haemorrhagiam efficiat. Saepe hepatitide chronica folliculi acephalocystici in hepate exsistunt, qui sunt serosi et fibrosi atque partim aquam partim multos folliculos minores in superficie interiore corpusculis specie vesicularum piriformium consertos continent. Qui folliculi tum solum cognosci possunt perspicue si in superficie hepatis conspiciuntur, sin autem profundius positi diagnosis est incerta. Saepenumero apud tales aegrotos omnia inveteratae gastritidis symptomata invenimus praesertim si folliculus in lobo sinistro hepatis sedem habet atque ita premendo functiones ventriculi impedit. Folliculus talis facile cognosci non potest: aegrotus de molestiis gastricis conqueritur, in regione gastrica tumor adstrictus, elasticus non autem dolens, margine duro carens, ubique fluctuans sentitur et interdum frictio tumoris animadvertitur, quae hydatidibus in parietibus folliculi fricantibus efficitur. Aegrotus bene se habet, febris hectica non adest, plerumque unus tantummodo tumor invenitur, raro complures, nec tot loci in hepate ita affecto editi, quot in fungo reperiuntur. Hi folliculi nisi cura adhibetur inflammantur, superficies interna pus colligit, hydatides delentur et perrumpuntur. Ineunte suppuratione aegrotus facile in statum marasticum et hecticum incidit. Rarius accidit ut folliculi hydatidum perpetuo crescant, qua re in loco quodam sensim tenuantur et extrinsecus rumpuntur.

Saepe etiam hepar inflammatione deminuitur, qua deminutione sustentationem imperfectam, ex vasis capillaribus, rarius ex majoribus hepatis vasis vastatis ortam sequitur. Praeterea varias efficit molestias. Hepar sub manu percutiente et inquirente minus apparet, multa conspiciuntur symptomata organorum gastricorum sanguine nimis expletorum, imprimis venarum, quibus rebus molestiae haemorrhoidales, varices in ano, tumor splenis conjunguntur.

V. Sphacelus apud nos raro invenitur, et Stokes eum non semper ex inflammatione, sed ex apoplexia hepatis originem ducere contendit. Dolores sine ulla crisi subito desinunt, pulsus debilis, frequens, inaequalis, turgor vitalis paene nullus, sudor frigidus, glutinosus, faeces sanguine commixti, foetidi, nigri, singultus, deliria, quibus mors adducitur.

Cadaverum sectio.

Haud raro in hepatis superficie exsudatum plasticum invenitur, quod interdum quasi tegumentum totum hepar circumdans, post aliquod tempus, si quidem non resorbetur, sensim telam organicam, cellulosam, serosam efficit, qua ex causa adhaesiones hepatis ad partes vicinas existunt. Sub exsudato vero tunica hepatis serosa plus minusve obnubilata nec lactis colore dissimlis conspicitur, vasa capillaria sanguine rubro completa sunt, cujus re etiam tela subserosa particeps est, quum ei exsudatum quoddam aut serosum aut plasticum insit, quibus substantii tela subserosa emollitur. Sin vero hic morbus decursum

habet chronicum ex hoc exsudato tela condensata, in qua interdum laminae osseae cernuntur, nascitur.

Inflammatio hepatis substantialis rarissime totum comprehendit parenchyma, sed plerumque circumscripta loca occupat, quae si morbus nondum longius progressus est, rubrum praebent adspectum, qui color in longiore morbo paullatim pallescit et subflavus aut subruber videtur, quae res lympha plastica exsudata efficitur, simul tela hepatis valde turgescit, quod praecipue in parenchymate secto animadverti potest, et tam emollita, ut digitis facile dirumpatur.

Sin vero suppuratio orta est primum noduli tantum singuli in parte inflammata deponuntur, qui compressione clarius apparent et in dies aucti abscessus conformant, quorum confluxu abscessus major nascitur, circum quem parenchyma hepatis inflammatione haud vacuum est. Sic fit, ut tota hepatis substantia deleatur membrana serosa tantum excepta, quae hepar in pus commutatum ut saccus circumdat. Vasa sanguifera prope abcessus sita exsudato plastico obturantur, qua de causa nec sanguis nec bilis in abscessum funditur. Interdum abcessuum spatium residuis parenchymatis non detriti sicut trabibus transjicitur, quae trabes vasa sanguifera quum intacta tum conclusa continent. Pus subflavum esse solet, sed ductibus biliferis omnino non obturatis pauxillo felle commixtum. Si sanguis cum pure se conjunxit, caldae cacaoticae colorem fuscum accipit, si abscessus parietes ulceratione consumuntur, plus minusve tabis foetidae odorem dispergit. Rarissime, ut jam supra dixi, hepatitis in sphacelum transit; in cadavere hepar in pultem subviridem, subni-

gram, vapores putridos exhalantem commutatum invenitur. Cavendum est, ne confundatur hic abscessus hepatis cum abscessu hepatis metastatico, cujus nascendi conditio est, ut materiae quaedam malignae, pus, elementa fibrosa, abnormia, alia sanguini commisceantur, quae vasa sanguifera hepatis obturent, idemque inflamment. Hae metastases raro in hepate interiore sedem habent, saepius in marginibus. Formam autem offerunt cunei, cujus basis in marginem, apex in medium hepar vergit. Initio metastases colore subfusco, subnigro sunt, turgescentia prominent, postea colore pallido, fusco, flavo, quum pigmentum magis magisque resorbeatur. Sub finem ad pus discedunt, quod raro normale, plerumque foetidum est. Discernuntur abscessus metastatici ab abscessibus hepatis vulgaribus quum forma tum ea re, quod ubi metastases sunt similes abscessus in lienis et pulmonum marginibus exsistere solent, quum vasa capillaria horum organorum etiam sint obturata.

In hepatitide acuta hepar non vehementius auctum invenitur, sed in chronica, ita ut pelvim deorsum tangat, sinistrorsum autem hypochondrium dextrum assequatur, pondus vero librarum decem usque ad viginti habeat. Interdum hepar nimis parvum, corrugatum, durum, quum hepatis telae cellulosae participes sunt inflammationis, invenitur, qualitas quoque hepatis variata est, nimia enim adipe saepe praeditum est; tum flavum adspicitur nec multum a colore fusco abest, magis tenue et leve est, quale hepar haud raro in hominibus, qui phthisi vel ebrietate mortui sunt, repeaitur. Si parenchyma cultro persecamus, adspectus nucis moschatae adest, cujus causa est infiltratio hepatis adipe valde diffusa, non aequalis,

sed in singula loca expansa. Interdum vero causae sunt ductus biliferi felle stagnante completi, quo fit, ut eorum parietes irritati condensentur. Qui hepatis status myristicatio hepatis nominatur, et ab Laennec inde nasci putatur, quod hepar telis scirrhosis infiltretur.

Saepissime in hepatitide chronica granulationes, stricte sic dictae, id est, parvi noduli duri, tenaces inveniuntur, qui hepar condensant et globosum reddunt, qua re diametrus ejus ab anteriore ad posterum major fit, margo autem inferior magis tenuis parenchymate fere omnino caret, cujus locum massa fibrosa, cellulosa tenet Hae quoque granulationes non semper eandem originem habent, quum et ex stasi quadam bilis in vasis biliferis capillaribus, quae parietes eorum hypertrophicos reddit, et ex hyperaemia acinorum chronica, qui hypertrophia laborant massamque duram et granatam continent, exsistant.

Quum vel textum hepatis cellulosum hujus degenerationis vasorum capillarium particeps sit et longiore tempore praeterito indurescat, evenire solet, ut hepar valde corrugatum, si persecare volumus, sonum fere stridentem proferat, qui morbus diu carcinoma esse putatus est. Sin carcinoma quoddam hepar capit semper fere fungus medullaris est, qui plerumque complura simul loca tenet, quae substantia quadam alba, steatomatosa, non perspicue limitata, lobulosa obducit. Huic vasa non insunt, quae quidem in fungo postea emollito haud pauca invenimus. Tubercula, si quae adsint, raro primitiva sunt, sed ex pulmonibus aut glandulis meseraicis originem duxisse videntur. Saepissime hydatides in hepate gignuntur, rarius distoma hepaticum et gordii, quamquam interdum

ascaris lumbricoides ex intestino per ductum choledochum in hepar lapsa reperitur.

Interdum inflammatio sedem habet in ductibus biliferis; quod si fit, ex affecto duodeno originem ducit, quum vero hoc sanum invenimus, dum ductus choledochus laboret, cholitum saepe causam inflammationis adducit. Tunica mucosa ductuum biliferorum rubrefacta et perlaxa contumescit, quo stenosis exsistit.

Aetiologia.

Hepatitis plerumque homines aetate provectos corripit, interdum etiam infantes neonatos, apud quos ex inflammatione venae umbilicalis usque ad hepar et peritonaeum diffusa atque conjuncta cum erysipelate ventris inferiores et genitalium evadit et signa icteri, vomitus, diarrhoeae biliosae sub adspectum subjicit mortemque trismo et tetano adducit. Imprimis hepatitidi obnoxii sunt homines temperamenti cholerici et melancholici atque animi maxime irritabilis. Saepissime aëre calido in regionibus palustribus inhalato oritur, quo sanguis depravatur et facillime inflammatio vehementissima exsistit, si fellis secretio impeditur et icterus comaque efficitur. Neque raro ex refrigeratione aut animi aegritudine, praesertim si statim potio hauritur, e lapsu aut ictu regioni hepatis inflicto, aut e vulnere ejus originem ducit, interdum jam e saltu, quo hepar vehementissime conquassatur: etiam facillime ad vulnera capitis accedit, etiamsi corpus minus concussum sit. Inflammatione organorum vicinorum et pleurae dextrae et pulmonis dextri et, quod saepissime

fit, intestini duodenalis, atque materiis noxiis sanguini admixtis, quae in vasis capillaribus hepatis haerent, hepatitis gignitur. In morbis cordis organicis, in quibus praecipue sanguinis ex ventriculo et atrio dextro delapsus impeditur, hepar valde magnitudine augetur, quae res etiam in pneumonia dextri lateris observatur. Saepissime concrementa lapidosa in ductibus biliferis sitą occasionem praebent inflammationis, quae ex his in hepar transit.

Diagnosis.

Diagnosis hepatitidis, praesertim chronicae ejusque, quae in hominibus est, qui quod sentiunt indicare non possunt, difficillima est, nisi regio hepatica accuratissime inspiciatur. In pneumonia enim vehementissima lateris dextri hepar interdum valde deorsum premitur et sub costis brevibus prominet, quo fit ut aegroti magnis doloribus in loco, quo hepar normaliter positum est, afficiuntur, quod tamen facillime a hepatitide discerni potest, si cetera respiciuntur symptomata, quibus pneumonia cognoscitur. Nam si pneumonia adest hepar non sine maximis doloribus sursum moveri potest, qui desunt, si deorsum premitur manibus.

Hepatitis chronica facillime negligitur, nisi adspectus pallidus et cachecticus aegroti, dolores humeri dextri suraeque dextrae praebeant ejus symptomata. Perniciossimum sit, si medicus hepatis abscessum vesicae felleae hydropem esse putet, quae valde inter se differunt, quum illi dolores inflammatorii antecedant, qui quo magis abscessus crescit, deminuuntur, in hac autem initio leves sunt nec continui et paullatim vehementiores atque con-

tinui. Desunt in hydrope vesicae felleae febris hectica, maciesque, etiam tumor jam initio limitatus non praebet marginem durum, fluctuatio in omnibus locis sentitur; abscessus contra celeriter crescit, febri hectica, macie, sudoribus nocturnis comitatus, tumor initio durus morbo procedente fluctuat in media parte margineque duro circumdatus est. Si vesica fellea completa premitur, pars quaedam ejus quod continet in intestinum duodenum influit, quo dolores colici et diarrhoea biliosa efficiuntur.

Prognosis.

Hepatitis semper est morbus periculosus, qui si negligitur mortem celerem aut hepatis degenerationem adducere potest. Tamen hepatitis acuta meliorem offert prognosin, quam chronica, quae saepissime non cognoscitur, illa autem etiam perniciosissima fieri potest in regionibus palustribus, quia sanguine vitiato facillime sepsis affertur. Inflammationis resolutio maximi est momenti; nam ceteri exitus plus minusve sunt mali. Saepe fit, ut morbo praeterlapso hepar organis vicinis coalescat, qua re organorum functiones perturbantur aegrotumque dolores et ictus regionis hepaticae invadunt. Abscessus hepatis vulgo habet exitum letalem, praecipue ubi hepar jam antea morbo quodam laboravit aut homo constitutione cachectica praeditus est, morsque interdum subito evenit, si abscessus diruptus in cavum abdominis effunditur ibique peritonitidem gangraenosam efficit. Si pus in pulmonem dextrum aut pleuram aut ventriculum aut tractum intestinalem pervenit, aegrotus interdum mortem

evadere potest, plerique autem phthisi hepatica moriuntur. Optimam praebet prognosin abscessus sub cute apparens, qui justo tempore cultro aperitur, quum, si hoc negligitur, hepar tabescat et spes sanitatis eripiatur, tamen interdum etiam hi abscessus sunt insanabiles, si hepar alio praeterea morbo laborat aut costae vicinae carie vel necrosi affectae sunt, unde fistulae remanent, quae interdum parte costae cariosa exfoliata ad sanitatem perduci possunt. Prognosis hepatitidis chronicae mala est. Simplex tantum hepatis hypertrophia totaliter saepe tollitur, aliae autem degenerationes parenchymatis hepatici aut stationariae fiunt aut paullatim crescunt. Pessima est prognosis fungi medullaris atque hydatidum, quae tamen in hominibus robustis et sanis atque si unus tantum saccus adest in parte anteriore hepatis situs, ita ut instrumento quodam exsecandi causa comprehendi possit, ad sanitatem perduci possunt. Singultum qui saepissime in hepatitide observatur magni momenti esse Petrus Frank negat.

Cura.

I. Causae, quae obveniunt, sunt tollendae si fieri potest, calculi biliosi, haemorrhoides, catameniae oppressae.

II. Ratio dynamica hepatitidis est respicienda.

1) Hepatitis sthenica. Methodus antiphlogistica primum obtinet locum in hominibus robustis, quam ab causam, quamquam pulsus interdum est parvus et oppressus, rarus, intermittens, et aegrotus pallidum et debilem offert adspectum, medicus non impeditur, quin sanguinem mit-

tat, quod nisi fit facile dissolutio sanguinis existit: est igitur statim venaesectio unciarum duodecim usque ad sedecim instituenda in brachio dextro, quod etiamsi in sanguine crusta phlogistica non inveniatur compluries fiat necesse est, si symptomata sex vel octo horis post nondum sunt extincta. Si hoc modo morbi vehementia fracta, febris temperata est, dolores deminuti sunt, utile est hirudines duodecim ad viginti quinque in regionem hepaticam applicare. Quo fit ut morbo deminuto saepe profluvium sanguinis e naribus aut recto aut partibus genitalibus feminarum existat, quibus crisibus calidis vaporibus ad loca sanguinem fundentia applicatis est succurendum. Remedia antiphlogistica ad usum internum sunt adhibenda: Kali nitricum, Ammonium muriaticum, Tart. depur., salia refrigerantia, succus citri, clysmata aquae hordei cum acido acetico, cataplasmata Althaeae, Malvae, Cicutae, Hyoscyami nigri.

2) Hepatitis asthenica.

a) Etiamsi remediis antiplogisticis natura sthenica sit temperata, saepissime erethismus quidam in hepate remanet, qui primum remedia sedantia, postea roborantia postulat, quam ob causam linimentum volatile commixto succo papaveris infricandum, vesicantia applicanda, balnea calida in usum vocanda sunt. Tunc Hydrargyrus est respiciendus, qui quamdiu hepatitis est sthenica in dosibus magnis ita ut purget est porrigendus, sin autem morbus naturam asthenicam accipit adhibendus est in dosibus parvis, ita ut aegrotus per diem ter vel quater granum unum sumat. Regio hepatica unguento Mercurii cinereo infricari potest. Diaeta sit levis.

b) Apud homines debiles et irritabiles venaesectione instituta quam maturrime remedia sedantia, emulsio amygdalarum dulcium aut seminum cannabis una cum extracto Hyoscyami aut Opii aquoso adhibenda sunt. Hydrargyrum muriaticum mite per diem porrigendum est, tempore vespertino grana duodecim pulveris Doweri aut granum unum opii puri aut granum ¼ Morphii acetici.

c) Sub coelo calido et palustri non raro hepatitis existit conjuncta cum debilitate corporis spuria, quo in statu statim venaesectio est incurrenda, remedia resolventia et refrigerantia, Hydrargyrus sunt adhibenda.

d) Interdum inflammatio asthenica est torpida, praecipue in hepatitide chronica, tamen spectandum est, plethoram venosam adesse, qua in re, si aegrotus est validus, sanguis missus adjuvat; neque non alvi dejectiones adjuvandae sunt adhibitis extractis amaris, sero lactis, fontibus mineralibus, ut Kissingen, Marienbad, Karlsbad. Si tumor hepatis permagnus aut hepar adiposum adest praescribendum est

℞ Kali hydrojodici ʒj
Syrupi Althaeae ℥j
Aquae destillatae ℥vj

M. D. S. 4 Mal täglich einen Esslöffel zu nehmen

III. Respiciendi sunt morbi cum hepatitide conjuncti, quum si symptomata gastritidis acutae, enteritidis, pleuritidis, pericarditidis adsunt, methodus antiphlogistica sit efficacissima, si symptomata febris intermittentis, venaesectio sit instituenda. Cutem fervidam aqua frigida et acido acetico lavari maxime idoneum est, et si congestio ad caput fit idem aqua frigida est perfundendum. Tunc

salia neutralia sunt porrigenda, quibus addimus remedia antimonialia; paroxysmo remisso aut Chinini sulphurici aut Chinae doses magnae sunt adhibendae, ne paroxismus proximus redeat, cui si tamen redit venaesectione omnino non est occurendum, quum debilitas puria sanguine depravato vera facta sit, sed remedia excitantia, ut Moschus aut Camphora, in usum vocanda sunt.

IV. Hepatitis est curanda secundum exitus.

1) Si inflammatio resolvitur vires aegroti oppressae cibis nutrientibus et remediis amaris sunt sustentandae. Interdum turgescentia biliosa supernevergens conspicitur, quae emetico, saepe etiam effluvium fellis perversi in intestinum, quod remedio purganti facillime vincitur.

2) Ubi transit inflammatio in suppurationem, regio hepatica cataplasmatibus narcoticis obtegenda, si febris hectica adest, decoctum Chinae est porrigendum. Si abscessus sub cute apparet et perspicue fluctuat statim cultro aperiatur necesse est, ne in cavum abdominis effluat. Sin fluctuatio non sentiri potest et abscessus in profunda substantia hepatis positus est, symptomata autem hepatitidis adsunt, tunc cultro in eo loco est incidendum, ubi tumor maximus est et maxime dolorosus.

3) Si hepatitide chronica circulatio sanguinis vasorum venae portarum est perturbata maxime idonea sunt balnea pedum Scottii, ex acido nitrico fumanti, acido muriatico concentrato, aqua communi composita. Carcinoma hepatis sanari non potest et cura tantum palliativa est adhibenda. Sacci hydatidum in superficie anteriore hepatis

positi operatione tolli possunt, quam ob causam in medio tumore incisio est facienda usque ad peritonaeum, tunc linteola carpta in vulnus inferenda, ut inflammatio adhaesiva oriatur et saccus cum peritonaeo coalescat. Postea saccus aperiendus, per quem setaceum est ducendum.

VITA.

Ego Carolus Henricus Laemmerhirt Neodamensis, fidei evangelicae addictus, natus sum h. s. anno XXIX Calendis Decembris patre Carolo, matre Julia e gente Albrecht, quos adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Primis literarum elementis domi instructus primum gymnasium Francofurtense deinde Brandenburgense adii, e quo examine maturitatis superato auctumnali tempore anni h. s. L Gryphiam literarum sedem petii ibique a Rectore Magnifico Ill. Semisch in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Schultze tum gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem rite nomen sum professus. Post duo semestria Halas petii, ubi ab Ill. Eiselen t. t. fasces academicos tenente inter cives academicos receptus sum. Tum autem tempore paschali anni h. s. LIII Gryphiam iterum me contuli, ubi ab Ill. Berndt t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus et ab Ill. Bardeleben t. t. Decano gratioso medicorum ordini sum adscriptus.

His interfui praelectionibus

Ill. Hünefeld: de chemia organica, anorganica, de mineralogia.

Ill. Tillberg: de physice.

Ill. Stiedenroth: de logice et psychologia.

Ill. Münter: de zoologia, de botanice, eundem secutus sum in excursionibus botanicis.

Cel. M. Schulze: de osteologia et syndesmologia.

Cel. Eichstedt: de artis obstetriciae operationibus in phantomate institutis.

Exp. Haeckermann: de auscultatione et percussione, de medicina forensi, de politia medica.

Cel. Laurer: de arte fascias rite alligandi, de materia medica, de methodo formulas medicas rite concinnandi.

Exp. Pohl: de tumoribus, de morbis syphiliticis.

Exp. B. Schultze: de vitiis primae formationis.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medica, de historia medicinae.

Ill. Schulze: de anatomia et physiologia hominis, de anatomia pathologica, qui idem me instituit in arte cadavera rite secandi.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali nec non speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Berndt: de pathologia et therapia speciali, de morbis puerperarum. Eundem etiam in clinico medico et obstetricio ducem habui.

Halis disserentes audivi:

Cel. de Bärensprung: de pathologia et therapia generali.

Beat d'Alton: de anatomia comparata.

Ill. Hohl: de arte obstetricia.

Ill. Kruckenberg: de pathologia et therapia speciali.

Quibus omnibus viris optime de me meritis hoc loco gratias ago quam maximas semperque habebo. Jam vero tentaminibus quum philosophico tum medico atque examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque meis publice defensis summi Medicinae, Chirurgiae, Artis obstetriciae in me conferantur honores.

THESES.

I.

In herniis incarceratis cito ad scalpelli usum est confugiendum.

II.

Hydrargyrus in morbis syphiliticis remedium efficacissimum est.

III.

In metrorrhagia parturientium ex placenta praevia plurimis in casibus remedium mechanicum, quod „Tampon" dicitur, est optimum.

IV.

Medici forensis tantum est, non quid ipse velit, sed quid judex recte interroget, stricte respondere.